

infernum. Ideoq; si famosissimi Archinebulones, nec Deum, nec infernum metuentes, non dignis pœnis à seculari Magistratu punirentur; bone DEUS, quænam absurda; imò absurdorum absurdissima inde orientur? Memini quendam facinorosum; cùm rotæ imponeretur, cum Michaële Baldo, de quo consule *El. Reusn. in hortul. Histor-polit. Coron. 2. flor. 2. p. 101.* negasse futuram resurrectionem, & Diabolum. Principem autem non debere interesse Judiciis capitalibus scribit *Amplissimus Dn. Christ. Besold. Fautor meus honorandus, lib. 2. polit. c. 3. §. 3. p. 647.* Contrarium enim secutus Augustus, & ob id Carnifex appellatus à Mæcenate *Herm. Kirchn. disp. 11. th. 1. b. ad fin.* Non etiam Principi suaderem, ut supplicia spectaret, ne exinde voluptatem capere videretur, ut quoque statuit *Besold. d. loc.* Non igitur placet *Lancell. in Templo Iudic. 1. c. 1. §. 4. fol. 395. n. 3.* allegatus à *Besoldo 1. polit. 4. §. 5. p. 158.* quod notat ipsum Principem delinquentes interficere posse.

ARTICULUS II.

De iis, qui publicis judiciis ratione honorum suorum præsumunt.

1. **H**Odiernis Germaniæ moribus inspectis mandari posse merum imperium extra dubium est, *Hieron. Treutl. vol. 1. disp. select. 2. th. 2. c. Reink. d. tract. lib. 2. class. 2. c. 17. n. 30. 31. 32. Neidling. de Iurisd. c. 4. b. c. Dn. Anton. Nesen. dec. 4. quest. 4. vers. sicut & imbubitatum,* licet jus civile id ipsum non concedat, ut expressis textibus probat *Dn. Arum. vol. 2. discurs. Acad. 6. concl. 53.* Vide tamen *Dn. Rein. Bach. d. disp. Treutl. 2. th. 6. e. f. g.*

2. An idem obtineat in casu infirmitatis? Negantium sententiæ calculum adjicimus, cum sola absentia in legibus excipiatur. Et contrarium hoc jure Carolino verius *Arum. d. disc. 6. concl. 54.* Latissimè differentes vide pro & contra apud *Ofwald. Hillig. in Don. enucleat. lib. 17. c. 8. CC. DD. Bachov. d. disp. 2. th. 6. d. Henr. Bessel. vol. 1. Pand. disp. 3. de Iurisdictione, th. 3. & ab iis allegatos Jctos.* Et ego hîc prolixus esse possem, sed brevitati operam dabo. Vide plura apud *Dn. Herm. Gœhaus. par. 1. peric. 3. q. 22. & part. 2. peric. 1. q. 1.*

3. Non hîc quælibet infirmitas levicula, sed sontica intelligenda, quæ videlicet negotiis agendis obsit. *l. quæsitum est, 60. ff. de re judic.* Sontire enim erat, quod graviter nocet, ut ex *Gœddæo in l. morbus, ff. de V. S.* annotat *Bernh. Zieritzius.*

ARTICULUS III.

Judicis dati in causis criminalibus juramentum.

1. **J**udices dati debent esse jurati secundùm formam præscriptam, nec valet statutum, vel consuetudo, qua remittitur iis juramentum. Quia hujusmodi statutum vel consuetudo materiam delinquendi daret. Pulchrè, ut nil supra, *Zieritz. hîc,* sequenti art. 4. hoc deducit.